

**Dissertatio medica de anorexia ... / Publico eruditorum examini proponit ...  
Johannes Justus Kornmannus.**

**Contributors**

Kornmann, Johannes Justus, active 1685.  
Hoffman, Johann Moritz, 1653-1727.

**Publication/Creation**

Altdorffii : Literis Schöningerstaedtianis, [1685]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/vmjgguq4>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

10

DISSERTATIO MEDICA  
*De*  
**ANOREXIA,**  
QVAM  
PRÆSIDE  
VIRO

*Nobilissimo Excellentissimo & Experientissimo*  
**DN. JOH. MAVRICIO**  
**HOFFMANNO,**

Phil. & Medic. D. Chemiæ & Anatom.  
Profess. Publ. Celeberrimo, atq; S. R. I. Naturæ  
Curiosorum Collegâ,

*Patrono ac Fautore suo etatem devenerando,*

Publico eruditorum examini

*Add. 3. Octobr. A. E. C.* PROPHLET DC. LXXXV.  
AVTHOR

**HANNES JVSTVS KORNmannVS,**  
de Hornsbach, Alsfeldiâ Hassus.

\*\*\*\*\*  
ALTDORFFI  
LITERIS SCHÖNNERSTÄDTIANIS.

¶¶¶¶ 4 ¶¶¶¶

quandoquidem ex Galen. de alimentor. facultatib. lib. I. cap. I. *novimus*, sine alimentis ne vivere quidem, neq; secundâ neque adversâ valetudine, nos posse , *ex verissimâ Cornel. Celsi* lib. II. de Re Medicâ cap. I 8. *sententiâ*, alimenta non omnium tantum morborum , sed & secundæ valetudinis communia præsidia sunt. *Idcirkò nominatum modò affectum præ aliis selegi in præsente Dissertatione declarandum.*

Faxit

*Supremum N umen ! ut propositum hocce meum  
in Divinam gloriam , mortaliumq; sa-  
lutem, cedat feliciter !*

Exorto.



B.C.



## B. C. D.

### THES. I.

**I**N limine equidem hujus Dissertationis, si communis via quâ itur, incedere vellem, NOMEN propositi affectus quoad ETYMOLOGIAM, SYNONYMIA, & HOMONYMIA evolvendum esset, verum cùm Lexicographi & Medici quidam Clarissimi φιλολογώτατοι prolixam huit negocio jamdum impenderint operam, ne actum agere aut pretium temporis ignorare videar, paucissimis tantum innuisse sufficiat, ἀνορεξίας natales in Græcā habere lingua, ibique etiam ἀστίας vel ἀποστίας, item PAVLO ΑΞΙΝΕΤΑΙΤΙΩΝ ἀποστόφην dici; Latinis admissis in civitatem Romanam Græco nomine ANOREXIAM, communiter vero INAPPETENTIAM & CIBORVM AVERSIONEM ac fastidium nuncupari. Plura leg. in Castello renovato curâ & studio Viri Nobil. Ampliss. Excellentiss. atq; Experientiss. DN. JACOB. PANCRAT. BRVNONIS, Phil. & Med. D. kujusq; Prof. Publ. in hac Universitate famigeratissimi edito pag. 90. Henric. Petraum in Nosolog. Harmonic. Tom. I. Dissert. XXV. §. 5. Linden. seleck Medicor. Exercit. XIV. §. 61. & 63. Sennert. Med. Practic. lib. III. Part. I. Sect. II. cap. I. & alios.

### II.

Definiri autem breviter posset ANOREXIA sive INAPPETENTIA, quod sit FASTIDIVM CIBORVM, nihil quippe, judice accuratissimo Lindeno loc. alleg. ad essentiam hujus Symptomatis exponendam requiritur præterea: imò optan-

dum esset ad hanc normam concipi omnes rerum medicarum definitiones, consuleretur enim & captui discentium & memoriae cuiusque plurimum.

## III.

Atq; ita spectata ANOREXIA, SYMPTOMA habetur ACTI-  
NIS NATURALIS, scil. APPETITVS ALIMENTARII  
PLVS MINVS IMMINVTE vel ABOLITE LÆSI, quod MOR-  
BVM IN TEMPERIE in diversis subjectis diversæ sequi-  
tur, dum VENTRICVLVS tanquam PARS AFFECTA suos insi-  
mul patitur manes, modò RATIONE suæ STRVCTVRÆ, modo  
ratione SPIRITVVM influxui aliàs destinatorū, modò ratio-  
ne FERMENTI quali congeniti: Ratione STRVCTVRÆ quidē,  
quando fibri læ nerveæ in sinistro præprimis orificio à sta-  
tu naturali deflectunt, atq; Intemperiem vel solutam uni-  
tatem patiuntur, nimiamque resolutionem, uti in paraly-  
ticis videre est; Ratione SPIRITVVM, quando ab opiatis in-  
tempestivè exhibitis spiritus animales, (cerebri incolæ) sup-  
pressi non auscultant vellicationi orificii ventriculi supe-  
rioris; vel quando iidem propter animi pathemata gravia  
percussi sunt, vel ob malorum concurrentiū vehementiam  
prosternuntur, vel propter cerebri morbosas afflictiones  
nervorumque vitia non influunt; Ratione FERMENTI VEN-  
TRICVL, quatenus hoc ipsum vel non generatur vel gene-  
ratum obruitur & obtunditur, aut à nimiâ assumtorum  
crudorum vel pinguium quantitate, aut à muco glutinoso  
viscido itemq; pituitâ ex similibus assumentis genitis, aut à fa-  
livâ glutinosa & pingui per gulam destillante, aut à bile o-  
leosâ per pylorum regurgitante, unde fermentum hoc ga-  
stricum suam activitatem exserere non potest, quod etiam  
evenit, quando idem fermentum nimis diluitur à nimio  
potu ingurgitato liquoris fermentalis particulas salinas  
plus justo diluente & enervante, vel deniq; quatenus est ni-  
mis fixum.

IV. An-

## IV.

Antequam vero pergam, sistam hic gradum, & pau-  
cula quædam in antecessum melioris intelligentiae causâ  
prælibabo. Notari itaq; velim toties appetitum excitari, quo-  
ties cibi reliquiæ acido-salinæ unâ cum fermento conge-  
nito in ventriculo vacuo hinc inde oberrant, ejusq; orifici-  
um superius, rectius sinistrum dictum, ex iñumeris conflatū  
filamentis nervosis (quæ accuratè descripsit *Willis. prima-  
rum viarum descript. Sec̄l. I. cap. 2.*) nec non tunicam nerve-  
am vellicant ac titillant, dum simul motu hoc, mediantibus  
nervis ventriculo à 6. vulgari vel octavo Willisiano pari-  
datis, ad sensorium commune glandularum scil. pinealem  
delato, mens lege conjunctionis ideam famis sibi format.  
Secundò sciendum, esse fermentum ventriculi sive liquo-  
rem gastricum dictum, qui componitur ex particulis san-  
guinis arteriosi valde activis, cibi reliquiis, ipsaque salivâ,  
confluentibus etiam spiritibus animalibus; hinc si sanguis  
fuerit bonus ac laudabilis, bonum etiam largitur fer-  
mentum, si vero ille intemperie quadam laboret, & hoc mi-  
nus erit temperatum, quapropter dum ventriculus accusa-  
ur malè dispositus, ad massam sanguineam etiam respici-  
endum erit.

## V.

Hisce præmissis, facilius ad enumerandas CAVSAS  
effectus propositi progredi licebit: Jam igitur CAVSAS M  
PROXIMAM anorexias dico esse imminutam vel deficientem  
vellicationem fibrillarum nervearum, principaliter per  
orificium sinistrum, tum universam membranam nerve-  
m, distributarum: quas vero ob CAVSAS ANTECEDENTES  
icta vellicatio imminuat vel deficiat, in Thesi prægressâ  
certâ innui.

## VI. SUC-

Succedunt considerandæ CAUSÆ REMOTÆ, ad quarum censum referto RES NATVRALES, NONNATVRALES & PRÆ-  
TER NATVRALES: Inter NATVRALES hūc faciunt tempera-  
mentum cholericum, phlegmaticum, pituitosum, ætas  
senilis, &c.

Inter RES NONNATVRALES nuncupatas primo loco obve-  
nit AER, qui si sale universali ritè imprægnatus & bene dis-  
positus fuerit, valde amicus est naturæ nostræ fermenta-  
tionem vitalem conservando, ceu accuratè docent fun-  
damenta Medicinæ p. 58. à Viro Nobiliß. Excell. & Experient.  
*Dn. D. Waldschmidio Sereniss. Hassia PRINCIPIIS Medico Cu-  
biculare & Professore Medic. Primario, Physices Ordinario & p. t.  
RECTORE MAGNIFICO in Academia Marpurgensi, Patrono ac  
Præceptore meo multis nominibus colendo*, ad mentem Neote-  
ricorum delineata. Quòd si autem sal aëris universale ab  
activitate sua defecerit, ob particulas alias heterogeneas a-  
quosas, craffas, fæculentasque plurimas interfusas, tunc  
non tantùm Massæ sanguineæ fermentativæ partes mi-  
rum quantum deperdunt de suâ activitate, ejusdemque  
ventilatio non parùm quoque imminuitur, unde Torpor  
totius corporis, reliquarumque Machinæ nostræ hydrau-  
lico-pneumaticæ languor ac stupor succedit; sed & ipsum  
ventriculi fermentum mediante salivâ ab aëre proximè  
adulteratâ corrumpitur, & inappetentia occasionem sub-  
ministrat.

Post aërem morbiferum in nostro affectu symbo-  
lum præcipue confert CIBVS, tûm in quantitate, tûm in  
qualitate minus recte se habens. Nam in quantitate ni-  
mia dum assumentur fermentum ventriculi obruit, ejusque  
activi-

activitatem impedit, quò minus cibum in chylum laudabilem, quin contrà in massam viscidam & glutinosam commutare possit, unde famosæ ventriculi cruditates, quæ mater multorum morborum hosque inter etiam anorexias existunt, quodlibet enim menstruum fermentativum proportionem debitam sui requirit ad corpus legitimè solvendum : In **Q**UALITATE autem peccat CIBVS, quando existit pinguis, crudus aut viscidus, porosque habet adeò firmiter sibi invicem compactos, quò minus liquor ille gastricus volatilitate suâ eos diffingere ac dissociare possit. Ad anorexiā ergò inducendam apprimè faciunt pisa, ole-ra, fructus horrarii, carnes fumò induratæ, aliaq; quām plurima assumta, quæ non tam digesta quām putrefacta in fundo ventriculi relinquuntur & acriora fiunt, unde vomitus, ructus, diarrhæa, aliique innumeri ventriculi accersuntur morbi ; nec minus hīc etiam accusare poterimus cibos nimia aciditate præditos, qui, figendo volatilitatem fermenti, ejus energiam evertunt. **P**OTVS porrò excedens limites, ventriculi tonum laxat, liquoris gastrici activitatis sphæram imminuit, particulasq; acido-salinas vellicacionem sensilem pro appetitu ciendo aliás inducentes nimum diluit & quasi enervat. Similiter **P**OTVS non ritè defæcatus, nec bene fermentatus particulas suas recrementitias fæculentas, in statu cruditatis relietas intra plicas ventriculi deponit, quæ tandem materiam glutinosam ac tenacem constituunt, quantum verò hæc valeat ad inducendam anorexiā in præcedentibus jamdum memoratum est.

## IX.

**S**OMNVS excedens sanguinem reddit impurum, crassum, torpidum, motumque fermentativum vitalem segnissimis obeuntem, & cùm à sanguine etiam mutationem recipiant fermenta viscerum v.g. ventriculi, lienis, &c. ex san-

guine tali crasso ac viscido, non potest non generari fermentum ventriculi vitiosum, sicque actio ventriculi quoque non parum laedi; adhac à fermento tali viscido & ad solvendum inepto dependent cruditates, quæ sanguini communicatæ augent intemperiem ejus viscidam, atque sic fermentum vitiosum potest esse causa auctæ intemperiei viscidæ sanguinis, & viceversa intemperies sanguinis viscida potest esse causa fermenti viscidæ & corrupti. VIGILIAS quod concernit, de his ipsis notanda est sententia famosissimi illius Poëtæ:

*Quod caret alternâ requie durable non est.*

Eadem namque si immoderatae & excessivæ fuerint, præterquam quod universam œconomiam animalem labefactent, spiritus maximè exhauriunt, quibus exhaustis alimentorum vulgo sic dicta concoctio impeditur, partes genio suo defraudantur, & fibrillæ nerveæ ventriculi non sati actuatae vellicationem ad appetitum movendum necessariam vel planè non vel debiliter admodum persentificantur.

## X.

Motus si fuerit nimius, occasionem præbet, quod massæ sanguineæ particulæ subtiliores tenues abeant in auras, relictis crassioribus, unde sanguis postmodum non adeò vegetè commovetur, sed ad motum redditur ineptus, hinc spiritus animales suppressuntur, sanguis non ritè ventilatur, fermenta viscerum, & speciatim ventriculi, non ritè volatilisantur, sicque activitate suâ quâ gaudent spoliatur.

## XI.

EXCRETA quod concernit, inter ea sanguinis seminisque profusiones largiores appetitum mirum in modum proster-

prosterunt, propter nimium portionum spirituosalium dispendium, ob quod etiam detrimentum capiunt reliquæ actiones œconomiæ animalis: Similiter SYLVIVS ex fide experientiæ scriptum reliquit, alvi fluxum inappetentiam comitem inducere: Nec minùs RETENTA propter intermissiones purgationes asluetas, aut in sexu fœminino propter mensum fluxum deficientem aut suppressum, anorexiæ ansam suppeditare solent, quatenus partim ventriculum vitiosâ faburrâ inquinant, partim sanguinem reddunt impurum & variis particulis heterogeneis eum conspurcant, unde partes activæ non tam facile sese extricare possunt ad constituenta fermenta viscerum, sed potius in his cruditates variæ accumulantur.

## XII.

Restant inter res nonnaturales spectanda ANIMI PTHEMATA, de quibus jam invulgus notum est, quantas sanitati nostræ insidias struant, idque ipsum facile patet, dummodo insignes illas mutationes in corpore nostro observemus, quæ tunc temporis sese produnt: sic e. g. IN TRISTITIA pulsus observatur tardus ac debilis, suspiria & gemitus percipiuntur, respiratio redditur laboriosior, &c. hocque nominatum animi pathema inappetentiam etiam ciere solet, quia spiritibus animalibus ab eodem perculsis & ab expansione suâ irradiativâ fræno quasi injecto detentis, nec debitè ad ventriculum confluentibus, fibrillæ nerveæ vellicationem appetentem non ritè percipiunt: Idem symptoma subsequitur, quando spiritus animales per terrorem repentinum retrahuntur, tuncque simul fermento ventriculi activitatem suam denegant, unde assumpta postmodum in ventriculo non ritè fermentantur, nec exaltantur, sed in massam ad nutriendum minus aptam degenerant.

Neque silentio prætereundæ sunt inter causas morbificas Anorexiæ, RES PRÆTERNATVRALES<sup>1</sup>, morbi scil. prægressi, v. g. febres continuæ aut intermittentes, item morbi chronicæ, uti cachexia, chlorosis, nec non particulares aliæ ventriculi afflictiones.

## XIV.

Cæterum quia anorexia signis DIAGNOSTICIS opus non habet, sed ex relatione ægri mox innotescit, ad PROGNOSTICA declaranda me recipio: Vbi sciendum, anorexiæ citrā causam evidenter obvenientem, morbi mox futuri prodromum esse, & inter initia quidem non adeò perniciosam vulgo haberi, si tamen diu persistat, corporis enervationem & consumtionem inferre; nec minus in pueris ἀδοηφαγίᾳ amantibus, item in adultis, mali declinatio-ne jamdum præsente, adhuc perseverantem haud optimæ notæ signum esse. Alia præfigia ex causis petet Medicus diligenter consideratis.

## XV.

Sequitur CVRATIO, ubi ante omnia cogitandum est de generosioribus remediis, venæ sectione scil. & purgatione, hæc tamen cùm in hoc morbo non adeò promiscuè sint in usum vocanda, priùs indagare addecet, utrum anorexia sit culpâ sanguinis, an verò ipsius ventriculi enata? Quòd si enim malum hoc proveniat ex sanguine v.g. ex suppressione consuetæ alicujus sanguinis evacuationis, omnino V. S. cum generosum audit remedium; sin verò sit à vitiō ipsius ventriculi, muci v.g. oblinentis fibrillas vel papillas nerveas interioris tunicæ ventriculi, tunc curationem auspicari oportet à remediis mucum primarū viarum digerentibus & incidentibus, quòd purgantia eò facilius operationes suas edere possint; inter digerentia talia excellunt Tartarus Vi-

triolatus, Tartar. Tartarisatus, terra foliata tartari, acidum  
tartari chalybeatum, &c. Inter purgantia hūc apprimè fa-  
ciunt Pilul. de aloë lota, de hierâ cum agarico, cochiæ Ga-  
leni, fœtidæ majores, phlegmagogæ Quercetan. stomachi-  
cæ Alkindi, stomachicæ simplices & cum gummi descriptæ  
in Pharmacop. Londinensi pag. 286. Egregium qq. existit  
apozema descriptum à Riverio Prax. Medic. lib. IX cap: I.  
quo incidente ac purgante velut unâ fideliâ duos simul  
possimus dealbare parietes. Vel

Rx MP. de hier. cum agaric. gr. xv.  
Gumm. ammoniac. in aceto solut. 3*fl.*  
*fl.* dulc. gr. iiiij  
Extr. Troch. alhandl. gr. j.  
Cum spirit. absinth. F. l. a. Pilul. no. xv.  
D. s. Purgierpiller.

## XVI.

Quod si autem bilis pinguis & oleosa exundaverit, ea-  
dem quoque per alvum evacuari debet usu El. diaprinivel  
cholagogi SYLVII, Extr. Rhabarb. Resin. Jalap. diagzyd.  
rosat. &c.

## XVII.

Porrò in anorexiâ levamen afferunt Emetica, ven-  
triculum à faburrâ vitiosâ quacunque liberando, pueris  
tamen & senibus, nec non aliis difficulter vomentibus, vel  
pectoris imbecillitate laborantibus, circumspectè exhiben-  
da: Formula talis esto:

Rx. Tartar. emet. gr. ij.  
Tartar. Vitriolat. gr. vj.  
Ol. macis gutt. ij.  
M. f. pulv. D.S Brechpulver..

## XIX.

Evacuantibus visis nunc alterantia catusasque inappetentiae corrigentia inquiremus remedia: Jam ergo si anorexia à muco viscido, vel pituitâ itemq; salivâ simili natales suos habuerit, pro correctione inservient aromaticâ, salina lixiva, salsa, alkalia volatilia, nec non acida temperata, ex quibus diversas unicuique licebit concinnare formulæ, dum aliquas tantum huc apponere juvabit:

**R.** Rad. acori  
enul. an. 3vj.  
cyperi.  
galang. an. 3ij.

Fol. menth.

salv.

origan.

Fl. anthos. an. Mj.

Cort. citr. sicc.

aurant. sicc.

Sem. fenicul. an. 3ij.

Cardam. min. 3j.

Cinam.

macis an. 3ß.

**I**ncis. & contus. M. D. ad saccul.

2 syndon. alb. parat.

**S.** Species zum Kräuter-Wein.

**A**cidi Tartari vinos. 3j.

sal absinth. 3j.

ol. cinam. destill. gt. iiij.

**M.** D. S.

Besonder Magen-Pulver.

**R.** *Essent. Cal. Arom.*

*Zedoar. anisat. 3ij.*

*spirit. mastich. 3j.*

*M. D. S. Appetit Eſenß.*

**R.** *Elix. Vitrioli Mynſicht.*

*vita Matth. aa3jß.*

*M. D. S. Magen Elixir.*

**R.** *ſpirit. C.C. citr.*

*Calam aromat. aa. 3ij:*

*liqv. C.C. succin. gtt. xv.*

*M. D. S. ſonderlicher appetit ſpiritus*

**R.** *ſpir. ſal. dulc. 3j.*

*S. Spiritus zu 7. biß 9. Tropfen.*

Circa spiritus tamen lacidos notari velim, eos non bene exhiberi in cochleari argenteo, ſolent enim maculam nigram post ſeſe relinquere, unde vulgus in ſuſpicionem veneni exhibiti forſan venire poterit. Trageæ insuper h̄ic juabunt aromaticæ, jcum pulv. ſtomaſhico Birckmanni, nec non pulvere ſtomaſhali D. Michaëlis permifcendæ

## XIX.

Quòd ſi autem inappetentia à bile pingui & oleoſā proveniat, ad eam corrigendam proderunt elixir fermentat. acidulum, Tartar. vitriolatus, arcanum duplicatū, ſpiritus vitrioli philosophicus, ac juxta SYLVIVM plantæ amarantes, ut & ſal lixiviosum quodvis.

## XX.

Denique ſi ſpirituum animalium influxus ad ventriculum à narcoticis ſit cohibitus, eſſentia castorei liquoribus ſpirituofis ſtomaſhicis permixta emolumentum dabit, pariter in aliis caſibus, ubi ſpiritus animales ſunt perculſi, aut alkalia volatilia itemque olea nervino-cephalica ſpiruosa eodem restaurabunt, & ad ventriculum ſufficienter influere facient.

## XXI.

Atque ita ordinatis medicamentis reliquum est, ut DIETAM præscribamus, ne ex errore hīc facile committen-  
do æger in eundem incidat labyrinthum, sicque posterius  
malum pejus fiat priori. AER igitur sit purus nullisque  
particulis heterogeneis inquinatus, cibi assumantur boni  
succi & ευπεπτοι, aromatibus modicè conditi, vitentur vi-  
scosi, crudi, flatulenti, pingues, durioremque compagem  
obtinentes. POTVS sit cerevisia lupulata probè defæca-  
ta, & vinum Rhenanum aut Mosellanum conferet etiam  
vinum generosum cochleatim in principio mensæ assu-  
tum, pro excitando appetitu & juvanda fermenti spiri-  
umque activitate: In primis autem observetur aurea illa  
*Phocylidis* regula:

Μέτρω μὲν φαγεῖν, καὶ πιεῖν καὶ μυθολογέουσιν  
Πάντων μέτρον ἀριστον, υπερβασίη δὲ λεπτή.  
Moderatè cibum potumq; sumas & loquaris.

*Modus omnium optimus, excessus autem vitandus est.*

Similiter relinquatur pravus ille mos, quo nonnulli vix  
elapsâ unâ alterave à pastu horâ, novos mox ingerunt ci-  
bos, perniciosum enim hoc saluti esse, quodammodo jam  
olim innuit *Hippocrates lib. de Veteri medicin. num. XX. edit.*

*Linden.* posteriora namque intempestivè ingesta priorum  
impediunt digestionem, & cruditatis fæcunda mater fiunt.

Adhæc quia SOMNVS & QUIES ad concoctionem ventriculii  
ritè absolvendam quam plurimum conferre solent, (his e-  
nim ipsis spiritus animales restaurantur, ac toti œcono-  
miæ animalis novum accedit robur) hinc iis moderatè in-  
dulgere licebit; Vigiliæ contra continuæ quoniam spiritus  
dissipant ac chyli distributionem impediunt, arte corrigan-  
tur. MOTVS instituatur modicus ante prandium vel cœnā,  
sic fermentum ventriculi leniter agitatum à calore exci-

tato partium cumprimis circumiacentium cibos facilius dissolvere , atque chylus ritè elaborari potest. EXCRETA & RETENTA justè sibi invicem corraspondeant, venusque improba exulet. ANIMI rectæ rationis fræno coercentur PATHEMATA, imprimis ira , mœror , tristitia accuræ nimiæ. Atque hæc sunt , quæ hac vice pro ingenii tenuitate publico eruditorum examini proponere licuit, quod si verò fortè Tvo, LECTOR BENEVOLE , exquisito judicio non ubique satisfecero, imbecillitatem meam ut interpreteris benignè rogito. Meliora dampnus meliores. Interea sic

## SOLI DEO GLORIA!

## COROLLARIA.

### I.

- M**edicina ès' ars ès' scientia dici potest.
- II.** Homo ex duabus partibus corpore scil. ès' anima constat.
- III.** Chylificatio est cibi in chylum mutatio.
- IV.** Medicus est citò, tutò ac jucundè curare.
- V.** Corpus humanum rectè dividitur in tres ventres, summum seu caput, medium seu thoracem, ès' infimum seu abdomen ; atq; artus è truncō velut exorrectos.

*VI. Proverbium hoc non semper in Medicina procedit:*

Frisch gewagt / ist halb gewonnen.

*VII. Plethora curatur non tantum per V. S. sed & alia præsidia sanguinem imminuentia.*

*IX. Cacochymia & per humorum vitiosorum evacuationem, & per eorundem exaltationem tollitur.*

*IX. Due sunt membranae quibus fætus humanus involvitur, Chorion & Amnios.*

*X. Mulierculæ nonnullæ perpetuae veritatis regulam hanc in ore frequenter circumferunt:*

Die hübschsten Jungfr. geben die heßlichste Weiber/ und die heßlichsten Jungfr. geben die hübschste Weiber.

*Meam si quis roget ex principiis Medico-Physicis dicendam sententiam,*

Affirmo & Nego.



**N**Ausea quid stomachi sit, quando digeris; edis  
Quod sapit, & doctus grec velit  
appetere.

Nobilissimo, Eruditissimoque Dn. KORN-  
MANNO, Amico & Commensali sua-  
vissimo, à quo, præter hoc, & plura  
pellendis morbis expectabunt, quæ  
sint ad palatum, clinici, f. ex merito

**JOHANNES SAVBERTVS, D.**



**P**Ræclari ingenii specimen, KORNMANNE, *cibo-*  
*rum*

In publicum profers *inappetentiam*;  
Et quantum monstras jam cultæ Pœoniæ artis  
Sis appetens, ac nobilis scientiæ:  
Gratulor ex animo Tibi, AMICE, precorque sali-  
vam

**Ut moveat omnibus hæcce DISPUTATIO,**

Nobiliss. & Clariss. Dn. AUTORI RESPONSURO  
feliciter  
*inter occupationes acclam.*

**PÆSES.**

Dolor hic TIBI proderit olim.  
Nam veluti quondam gignunt bona germina  
fructus,  
Doctrinam ingenii sictua messis habet.  
Macte! Ergo grator TIBI de conamine pulchro,  
Ut TIBI fœlici sydere quæq; fluant.

Sapius ventis agitatur ingens  
Pinus: & celsa graviore casu  
Decidunt turres: feriuntq; summos  
Fulmine montes.  
Sperat infestis, metuit secundis  
Alteram sortem bene preparatum  
Pectus. Informis hiemes reducit  
Jupiter: idem  
Summavet. Non, si male nunc, & olim  
Sicerit:

Horat. lib. II. od. X. p. 35.

Hæcce Nobiliss. ac Præstantiss. Dn. KORNMANNO  
amicohaud infimo, festinante sed amicâ manu  
gratulabundus scribebat

CAROLVS PHILIPPVS LOMBARDIVS.

